



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Meditationes Rerum Divinarum In Psalmos  
Quindecim**

**Hillesheim, Ludwig**

**Coloniae, 1572**

**VD16 H 3683**

114 Dilexi quoniam. 115 Credidi propter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60352](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60352)

ste regnū paratus esse possit. Ita ego, cuius  
gloriā aeterna quē facta, in hoc terrestri Ec-  
clesia tua cœtu & congregatione sancto-  
rum sum confessus, iam augustior in illo  
aeterno concilio, & congregatione sancto-  
rū perenni, tibi seruatori meo redditus vi-  
uam, redemptus à terra, & ab omni inte-  
ritu liber, felicitate abs te electis ab ipso  
mundi exortu destinata.

*Meditationis in Psalmum  
CX. finis.*

ARGVMENTVM  
psalmi 114. & 115.

Deo ac domino nostro grati animi  
sacrificium semper faciendum, ei que  
persoluenda vota sunt, cuius beneficio  
redempti videbimus, & obtinebimus æ-  
terna bona in terra viuentium.

*Meditatio*



MEDITATIO IN PSAL-  
mum CXIIII. & CXV. iux-  
ta Hebræos CXVI.

**C**um in vita eorum qui Deum se-  
quuntur, omnia excelsa ac summa  
sint, illud tamē pulcherrima in ijs  
specie maximē admirandum est, iustissi-  
mos religiosissimosq; homines, in omni  
fortuna, quam iustitia colentibus & legū  
diuinarnm obseruantibus sepē aduersum  
euenire est necesse, non liberat ostantum  
malis, sed illis etiamnum circumuentos,  
& implicatos, gratias agere Deo, seq; ad  
eius laudationem totos conuertere. In quo  
beata in homine natura forma est, quæ ad  
originem suam redit, & ad Dei speciem se  
conformat, illustri effigie religionis suæ,  
quæ illorum animis est impressa. Nā cum  
illi in corporibus humanis vitam mutati  
cœlestē, se ijs in quibus cognitio Dei, eius-  
q; obseruantia est, dediderunt, spem certā  
salutis habent, in qua acquiescunt, et pro-  
M 7 misso-



missorum cœlestium fide innixi, liberationis suæ diem, quam sibi à Deo constitutâ esse certò sciunt, læti expectant. O præclarum institutum vitæ, sortemquæ fœlicem iustorum, cuius gloriosa, & omnibus bonis excellens ratio est. Quid enim est, quod comparari cum illo bono possit? quod omnes molestias exuperat vitæ ac delet, ac sensum etiam admittit malorum, ut inter tot metus, tamquæ varias agitationes, nunquam inanes bonorum spes, aut desideria irrita esse possint, semper laborum suorum & consiliorum fœlicem exitum ferant.

Atque utinam huius voti compotem, me gratia sua Deus faciat, ut tanti boni sensu animus noster abundare possit. Sed fidentum ei, retinendumquæ illud propositum erit, ut etiam inter fluctus vitæ infestis cõfugiam ad eum, eiusquæ immensum erga me amorem grata veneratione ac mente prædicem. Hanc ego præfigam mihi legem, & inter seculi multiplices curas, abducta ab sollicitudine ad tranquillitatem mente

Dei



Dei nomen semper inuocabo, toto enim ad  
eius gloriam amoris sensu inductus,

Dilexi quoniam exaudiet do-  
minus vocem orationis meæ.

Quia inclinauit aurem suam  
mihi, & in diebus meis in-  
uocabo.

**A**Mor meus Deus est, & mea volupta-  
tis delicia, quem ego presentem ser-  
uatore[m] tota veneror mente. Quid me  
tuebitur incolumem? qua vi malorum vi-  
te impressiones & fluctus auertam? Ego  
quidem temporibus aduersis, urgente me  
Dei manu, & ob mea peccata summo ob-  
uersante dolore anxius, quid sequerer nõ  
habebam, ac cum rationes omnes consili-  
orum, quæque ad minuendum dolorem,  
ac mala auertenda pertinere possent, ex-  
plicarem, confirmato animi consilio, illud  
vnum ad meam salutem secutus sum, vt  
ad Deum inuocandum, mens mea ac vo-  
luntas referretur. Itaq; tu Deus inuocan-  
tens



tem me exaudiuisti, & exhibuisti mihi  
bona, in te praesidium meum fuit, in tuo lu-  
mine vita mea & salutis exortum est lu-  
men. Quid enim tuo augusto numini pro  
tua amplitudine immensa, mea infirmi-  
tate summa exhiberi aliud aut poterat?  
aut fas erat? quam ut tibi mea omnia im-  
penderentur, & accepta referrentur?  
quo neglecto pollutus fuisset, & obligatus  
magno sceleri, ijs etiam malis expositus,  
qua hominum grauibus delictis constitu-  
ta sunt, ut afflictus ac miser, vera excideret  
salute. Hac enim in te sola est, & abs te in  
his tenebris malorum ac vita pralucente  
tua misericordia lumine dari ac tribui po-  
test. Cum ergo nihil in orbe terrarum, at-  
que in vniuerso esset, quod me angustijs ac  
metu liberare posset, ego spem omnem ab  
rerum fluxarum amore afectioneque  
auerti, & ad te Deum mea salutis autorem  
conuerti, vnde religiosus in te amor est ex-  
ortus, et incredibilis tranquillitas mentis,  
ac fiducia concepta, te desideria mea ac vo-



ta non deserturum, sed in omni fortuna,  
 preces & obsecrationes quas magno cū  
 fletu tota vita profundo, benignè auditu-  
 rum. Audiisti de cælo Deus, pro quæ tua  
 diuina clementia, cuius magnitudo om-  
 nia exuperat, nunquam te præbuiſti durū  
 ac difficilem mihi, sed dominatu tuo ma-  
 la mea potenter auertiſti. & maturè atq;  
 benignè conſuluiſti rebus meis, vt tuo cœle-  
 ſti fauore & præſidio vndiquaq; commu-  
 nitus eſſem. Itaq; in tuum amorem accen-  
 ſus, te ſequar, & firmamentum meæ vitæ  
 ac rerum in tua inuocatione ponam. Non  
 enim meam negligam ſalutem, non eo qui  
 me ſcleris coarguit, & iudicio meo con-  
 uincit mundi amore me inquinabo, cœle-  
 ſti me aſtringam, cuius præſidio firmatæ  
 res meæ ſunt, ac ſalus retenta.

Circū dederunt me fines mor-  
 tis, et pericula inferni inuene-  
 runt me.

Tribulationē et dolerē inue-  
 ni, & nomē domini inuocabo.

In

*Anguſtia  
 inferorum*



**I**n apertam certè perniciem incurreram  
 astringentibus me delictorum vinculis,  
 quibus in ipsam ducebar mortem, vt iam  
 inferorum profundissima perferirè. Hec  
 enim peccatorum iusta lex est, ex deprava-  
 tione naturæ, & irrogato maledicto,  
 quo sollicitudo omnis & miseria, & con-  
 scientia propter delicti metum, atque sen-  
 sum perpetuus terror est inductus, hoc ceu  
 stipendio peccatorum cōstituto, cuius gra-  
 uitas sic in natura defixa est atque heret,  
 vt nulla ope & arte humana superari at-  
 q; euinci possit. Cùm ergò tristitia & acer-  
 ba omnia, me & animo & corpore perse-  
 querentur, conuerti me ad te Deus, ac te  
 quem me saluum velle certò sperarem, san-  
 ctè adorato, tuoquè nomine pura prece in-  
 uocato, dixi:

O Domine libera animam  
 meam.

**Q**uouſq; enim obliuioni traditus in  
 hac malorum inueteratione ero? an  
 nulla mei ratio, nulla miseriarum remis-  
 ſio



fo erit? *semperne inter vndas malorum  
 ceunauis foelicitatis eiektus ferar?* vt omne  
 mihi *euum, omnis temporis spacium in do  
 lore & gemitu ponendum fit?* nunquam  
 interquiescat animus *semper ancipiti for  
 midine distrahatur?* Ita ego plane deser-  
 tus abs te ero? vt in *summis malis omni  
 caream auxilio, omni praesidio sim orba-  
 tus?* At tu qui salutem atque vitam vni-  
 uersis confers Deus, clementia sempiterna  
 tua, qua ad conseruandos tibi supplices v-  
 teris, e domicilio caelesti tuo me laborantē  
 intuere, & pro potentia tua diuina, iuua.  
 Ingentibus enim circumuentus ac defati-  
 gatus malis, *agre me sustento, augentque  
 omnia timorem, vt summis dolorum vin-  
 culis animus noster sit constrictus: Itaque  
 percussus, plagisq; ijs irreitū libera qua-  
 so virtute immortalis tua. Hanc ego que-  
 relam pro malorum & aegritudinum le-  
 uatione meam, cum ad Deum deferrem  
 bonitate eius inductus, certam in spem ve-  
 ni, daturum precibus lachrymisque*  
*meis*



meis, quæ vellem Deum. Quoniam

Misericors Dominus & iustus, et deus noster miseretur.

**N**Vnquam enim eius à nobis auersus fauor, aut sublata gratia est, vincit offense magnitudinem gratiæ immensitas, quæ summa in Deo est, & multis partibus maior, quàm vniversa eius opera. Hac vna consistunt ij, qui demissa eam mente implorant. Sed hanc salutem, quam Dei misericordia retinent boni, eam pertinacia sua mali amittunt, nec vlla habent præsidia stabilitatis suæ, quoniam contumaces ac superbi, non dignam Deo gloriam gratiamquæ tribuunt, sed præ fractis animis diuinæ clementiæ aduersantur. Non ergò aliquis ad eos celestium beneficiorum fructus redit, parata dei omnibus est voluntas, qui demissa mente, ad eum suas querelas deferunt. In hoc nulla fortuna potestas, nullum ius est, pro sempiterna enim iustitia sua,

Custodiēs

Ad Rom. 1.



Custodiens paruulos Domini  
 nus humiliatus sum, & liberauit me.

*Custodit  
 paruulos  
 Dominus,  
 miser eram*

**E**ST hoc in administratione cœlesti, & saluauit  
 qua vniuersa reguntur, vt omnis gra-  
 ue diuina vis, ad simplices atque humi-  
 les dimanet. Quemadmodum enim par-  
 uuli natura ad parentem, ita illi ad Deū  
 accurrunt, à quo se curari & custodiri sen-  
 tiunt, id quod sit abditum, & à seculi sen-  
 su abscondita ratione. Itaque super eos  
 requiescit Dei spiritus, ijsq; spes cœlestis  
 hereditatis est facta, in quo summi boni  
 immensitas inest, at in elatis ac superbis  
 contra omnia sunt, illi enim ingrati &  
 impie, Dei numen reprobant atque hor-  
 rent, cœlestia despiciunt, cogitantes hu-  
 mana & terrena, atq; ita excidunt super-  
 nis, abdicati à Deo, in quo malorum est  
 extremum. Quamobrem omnis salus  
 in eo consistit, vt nos in Dei humilem cō-  
 spectu, vnde futurum est, vt exaltati ab



eo, custodia eius diuina semper commu-  
niti sumus. Hæc immensa benignitas Dei,  
me, qui pars infima operum eius sum, sic  
vndiquaq; est amplexa, vt diuina virtute,  
reddita salute sempiterna, miseria omnis  
mea sit superata. Quamobrem

Cōuertere anima mea in re-  
quiem tuam, quia Dominus  
benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam  
de morte, oculos meos à la-  
chrymis, pedes meos à lapsu.

**Q**ua non enim conspirantium inter se  
malorum vis est? vnde perpetua an-  
xietas mentis, quæ omnem ei infert terro-  
rem, vt interquiescere non possit. Sed tua  
domine misericordia omnem mihi sensum  
adimit malorum, spemq; confirmat, vt la-  
ticia vera deesse non possit. Quare mi ani-  
me periculo omni, trepidationeq; liberate,  
ad veram te tranquillitatem confer, quæ  
conscientia recti, ac fiducia in Deum tua  
stabiliet



stabiliet & alet, nullus vt flagitiorum ar-  
 dor, nulla humana in te sollicitudo hare-  
 at, qua te ab requietis sensu auertat. Nul-  
 la certè sectantibus terrena securitas, nul-  
 la pax est impijs, eius enim viam nesciunt, *Ad Rom. 3.*  
 vulnerata eorum mente, altaque plaga cõ-  
 scientias infestante. Quamobrem Deo à  
 nobis debetur, vt ei gloriam omnem recu-  
 peratæ salutis, & pro beneficiorum coele-  
 stium exuberantia gratiam tribuamus.  
 Quàm ingens enim, & diuina immensi-  
 tati par magnitudo beneficiorum Dei est?  
 iustitia, ac vita sempiterna morte vnige-  
 niti filij Dei animis donata, vt in eos secū-  
 da mors potestatem nõ habeat, nec ampliùs  
 desleat ac deplorent damnationem suam, aut  
 in vllam, qua eos à Dei gratia auertat, *Heb. trãsl.*  
 damnationem impingant. Hoc ego illustri *Ambulabo*  
 beneficio affectus, & malorum omnium coram do-  
 securus ac liber, *mino.*

Placebo Domino in regio- *G. delecta-*  
 ne viuorum. *bor corã do-*  
*mino.*

Fœlicè



**F**OELICEM ergò me, cui in rectè factis  
 perseveranti, ac Dei voluntatem sequē  
 ti immortalitas destinata est, & vita sem  
 piternā, quam tum demum plenè conse  
 quar, cū iudicabit Deus arcana homi  
 num, & summus liberationis nostræ illu  
 cescet dies. Interea in huius mortis cor  
 pore, me ad Deum mente attollam, inque  
 eius conspectu, vero animo, plenaque fide  
 versabor, quo facto & mortem effugiam,  
 & in illam aeternam viventium domum  
 transibo. Hac enim promissa felicitatis  
 firma ac certa spes est, cui ego prorsus  
 innitar, & deo me regendum tradam,  
 ad illam cœlestem & immortalem ca  
 pessandam vitam. Hac fiducia ad iustitia  
 cultum inductus,

*Psalms*  
 CXV. Iux  
 ta Hebræos  
 altera pars  
 superioris  
 psalmi.

Credidi propter quod locu  
 tus sum, ego autem humili  
 atus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo,  
 omnis homo mendax.

cūm



**C**um enim inter fluctus huius vite in-  
q̄ angustijs versarer, animum meum  
fide & patientia obfirmaui, ne aut cede-  
rem malis, aut fragilitati succumberem,  
sed ad beatam iustitiæ spem adduci spiri-  
tu diuino possem. Ac fallaces quidem homi-  
nes, Deum aut falsitatis expertem, eum q̄  
malis meis opem allaturum certò semper  
credidi. Ideo q̄ locutus sum, omnem à Deo  
salutem, nec illam à quoquam mortaliũ  
expectabam esse. Cum ergò diuinis mune-  
ribus auctus, & liberationis sempiterno be-  
neficio ornatus essem, mente atq̄ lingua  
ad Dei gloriam & laudem adductus sum.  
At cum ego cinis sim ac puluis,

Quid retribuã Domino, pro  
omnibus, quæ retribuit mihi?  
Calicẽ salutaris accipiam, &  
nomen Domini inuocabo.

**C**um enim ea magnitudo sit dei, vt om-  
nem natura sensum superet, nec quic-  
quam tanta maiestati dignum offerri à

N me



me in hac conditionis fragilitate possum  
 quid restat, nisi ut magna animi fiducia,  
 calice ac poculo salutis sumpto, aeternum  
 Domini nomen inuocem & implorem? Hoc  
 enim mihi fidei plenitudo prestabit ad ex-  
 tremum, ut hoc diuino calice sumpto, salu-  
 tis quae in sperata ac noua patera domino li-  
 bera, gratia eius expleat caelesti, nec unquam  
 nominis ipsius laudibus desim. O praecla-  
 rum calicem, qui me conciliat Deo, et ad nun-  
 quam poenitentiam salutem adducet, quo  
 hausto, etiam inter durissimas offensioes ten-  
 tationum ac rerum, conformata ad Dei vo-  
 luntatem vita, muneribus caelestibus, explebor  
 & affluam. Eius beneficij meritiq; erga me  
 diuini magnitudinem, nihil est quod supera-  
 re possit, parta corporis & animi redem-  
 ptione aeterna, ut in terra merita offensa  
 eximar poenis, ac demum in caelo salute a-  
 terna abundem. O exoptatam ac speratam  
 meam felicitatem, quae concessa gratuito Dei  
 dono est, sublato iam omni damnationis  
 metu, ac diuinae irae calice. Hunc enim  
 calicem



calicem bibent omnes terra peccatores,  
 Dei ira percussi, à quo se impiè auerterunt  
 miserabili & horrifico exitio suo. Ab hoc  
 ego interitu, Dei misericordia, summa  
 conditione optatissima mea, saluus & in-  
 columis,

Vota meo Domino reddam,  
 corā omni populo eius, pre- *Soluam.*  
 tiosa in conspectu Domini  
 mors sanctorum eius.

**N**Am cuius ego cœlesti bonitate serua-  
 tus et auctus sum, ad eum me totum  
 vertam, & beneficiorum diuinorum con-  
 secratam in animo meo memoriam sem-  
 per retinebo. Sic soli deuotus Deo, & ei v-  
 ni sanctè iuratus viuam, atq; inter omnes  
 gentes, quæ à dei imperio cōtinētur eiq; addi-  
 ctæ sunt, clarè testificabor, me cœlitus ser-  
 uatū, oēm deo gratiā habere, et hac laudis  
 remuneratiōe iure vti, immortalib. eius be-  
 neficijs affectū. Hac illa in tenebris oriēs re-  
 ctis lux est, desiderata à bonis & omnib.

N 2 tempore



tempore eis impensa, affluens aeterna diuina gratia opulentia, vt ab interitu vindicata iustorum vita, eos clementia & misericordia coronet. Cùm enim Deus vita eorum propugnator & defensor sit, eam grauatè in discrimen venire sinit, magnoque aestimat eorum mortem, vt vndiquaque, et in vita, & in morte innumerabilis bonorum vis eos sequatur. Quanquam autem insipientibus videatur, ipsos occidere ac mori, nullam tamen iacturam faciunt salutis ac vitæ, relinquunt enim mala vt ad bona veniant, & sempiternus illis cumulus felicitatis accedat. Hac me expectatio maximè sustentat.

O domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Cùm enim omnis conseruatio ac salus mihi non merenti diuinitus tributa sit, nec ego in hac indignitate mea, vllam beneficij cœlestibus dignam gratiam exhibere



bere possim, quod vnum valeo, hac religione, animi mei sensus, mentemq; astringā & illam persequar ad extremum, vt me tibi in seruitutem offeram, tuo vnus imperio paream, nec à volūtate vnquā tua deflectam. Compensabitur enim hac mea seruitus immortalibus bonis, & ego meorū laborum, & impensi officij fructum feram sempiternum, destinatum ab ipsa aternitate ihs, qui se tibi in seruitutē dederunt, ac ministri tuæ voluntatis fuerūt. At quoniā tu domine diuina et omnipotēte manu tua

Dirupisti vincula mea, Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen domini inuocabo.

Tibi sacrificiū animi grati aciam.

Seruus enim tuæ potestatis diuina, liber statem adsecutus sum, diffractis ac disruptis malorum omnium compedibus ac vinculis, vt non amplius lugeam damnationem meā, sed magno ardore mētis, ceu sacro facto, offerā tuæ maiestati laudis hostiam, predicato & inuocato nomine tuo,

N 3 quod



quod est super omne nomen, vt largum  
 2. Cor. 4. neficiam tuam, gratiarum actione mea,  
 ad tuam gloriam redundet. Tu certe maiore  
 quam mea meretur humilitas me affe-  
 cisti mercede, supplicem meam vocem audi-  
 ens, mihi aurem prabens, cōseruans affli-  
 ctum, liberās hanc à morte, & summo in-  
 teritu animam, oculos à lachrymis, pe-  
 des à lapsu, vt tua tanta benignitatis, &  
 maiestatis dono, corporis & malorum om-  
 nium ruptis vinculis, versari in viuorum  
 terris in perpetuum possim. At quoniam  
 isti amabili ac salutari numini tuo, quod  
 rependam nihil dignum habeo, sacrifici-  
 um animi grati faciam, &

Nunc Do-  
 mino red-  
 dam.

Vota mea Domino reddā, in  
 cōspectu omnis populi eius.  
 In atrijs domus Domini in  
 medio tui Ierusalē halleluia.

O exoptatam speratamq; meam sortem,  
 qui luctuosus esse visus, ad sempiter-  
 nam gloriam boni sum euectus, salute mea  
 Christi



CHRISTI Dei sanguine, & beneficio  
 in sempiternum consignata confirmataq̄.  
 Quare cum tibi Domine omnipotens  
 meo liberatori, meoq̄ deo omnia debeā,  
 nec ad promerendum beneficium vlla  
 alia mea facultas sit, sacramenti mei  
 datam fidem, religiosè præstabo, idque  
 inter multitudinem addictorum tibi sem-  
 per testabor. Non enim me ad tuos ini-  
 micos adiungam, non desertores hostesq̄  
 sequar. In atrijs Ecclesia Catholica nunc  
 quidem abiectissima in terris, sed vnicè ti-  
 bi dilecta domo semper versabor. In hac  
 enim altaria tua Domine virtutum sunt,  
 in quibus adoletur incensum pura men-  
 tis, grato supplicationum suffimento, vbi  
 beneficia prædicantur et agnoscuntur tua,  
 in qua salutare tuū imperiū, dominatusq̄  
 æternus est. In hac tibi seruiā in terris, ac  
 demū peracta vita, manu emissus, trāsibo  
 in illa sempiternam domum, ac verè viuē-  
 tiū oras, vt in Ierosolyma cælesti, te adorē,  
 viuētem in perennia secula, ac dicam

N 4 Halleluia



*Halleluia, salus & gloria & honos, & po-*  
*Apoc. 19. testas Domino Deo nostro, Amen.*

*Meditationis in psalmum*  
*CXIII & CXV finis.*

ARGUMENTVM PSAL  
 mi CXX.

**O**Mne in Deo auxiliij est & præsidij  
 firmamentum, eoq; ceu munimen-  
 to tecta vndiquaq; ac defensa est  
 iustorum hominum, qui ad ipsum consu-  
 giunt salus & vita.

MEDITATIO IN PSAL-  
 mum CXX. iuxta He-  
 braeos CXXI.

**C**um ea sint rerum maximarum cõ-  
 uersiones, qua in vita nostra statu  
 incidunt, nulla vt eius pars ab sum-  
 ma sollicitudine ac mœrore vacua sit, fit  
 certè vt inquietus animus, nec ipse sibi confi-  
 liũ dare, nec à se desertus, vllas ad resisten-  
 diũ vires adferre possit. Et quanquã is la-  
 bor